

F

anf.

SS

F V M V S

FACVLAE  
NIHVSIANÆin rebus Logicis,  
dispulsus

Ab

ANDREA KINDERLINGIO

Logices Prof. P. in acad.

Iuliâ.



HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.

Anno MDCCCXLIII.



## LECTORI BENEVOLO

S. P.

**Q**uæ de Qualitate, Quantitate & Oppositione Modalium hîc trado, ea pluribus forsân quis explicata vellet, quum in iis discedam aliquantum etiam à sententiâ communi, idq; ex eo potissimùm, quòd illa velit, unius & eiusdem enunciationis modalis tam qualitatem quàm quantitatem esse duplicem, alteram modi, alteram dicti, & uno in loco unam, altero alteram attendi oportere: ego verò utramque existimem unicam tantùm cuiusq; modalis esse, & hanc ubiq; attendi tum debere, tum faciliùs etiam posse. Sed nolui nunc alia adferre, quàm quæ pertinerent & sufficerent ad institutum meum i. e. ad ostendendum, quàm ineptus Logices & præsertim doctrinæ Modalium reformator sit Nibsius. Reliqua differo, usq; dum universam Modalium doctrinam explicem; id quod brevi, Deo iuvante, faciam. Ibi & prædicta & cætera sententiæ meæ capita ex tam evidentibus deducam principiis, ut sperem, eam probatum iri omnibus bonis & intelligentibus, ubi eam perceperint: malos autem & moros nil quicquam moror, nec iis quisquam satisfecerit. Tu interim, benigne Lector, Vale.

FVMVS



FVMVS FACVLÆ  
NIHVSIANÆ.



Arēo legi, quisquis legem  
sanxeris, habet immota illa  
juris & æquitatis regula, quæ o-  
mnes omninò mortales obligat,  
ne summis quidem monarchis  
exceptis; idq; ut par erat, agno-  
scens Augustus Imp. cum contra  
legem à se de adulteris latam, per  
iræ impotentiam irruisset in ado-  
lescentem delatum, quòd cum Iuliâ ipsius filiâ rem ha-  
buisset, adolescente exclamante, *Legem tulisti, ô Cesar,*  
adeò doluit, ut eo die recusaret coenam capere, à seipso  
poenas sumens, quòd legi, quam alijs prodiderat, non  
per omnia paruisset.

II. Nihusius verò aut hac lege se exemptum supra  
omnes alios mortales putat, aut magis probat ea, quæ  
in Phariseis reprehendit Servator: *Dicunt, & non  
faciunt.* Item: Alligant onera gravia & im-  
portabilia, & imponunt in humeros homi-  
num: digito autem suo nolunt ea movere.  
Nam ab alijs disputatoribus rigidè requirit tum mode-  
stiam, tum ne nisi ex undiquaque concessis argumen-  
tentur: ipse verò adeò hæc non observat, ut contra ubi-  
quetam plenis conviciorum velis in adversarios inve-

2  
FVMVS FACVLAE  
hatur, quàm fermè non nisi ex non concessis conclu-  
dat.

III. Vtrumque & ego olim expertus sum, ( utpo-  
te quem bis ad disputationem provocatum totiesque  
congrèdi ausum, utrâque vice tandem quasi immode-  
stum & malè disputantem, ipse immodestissimus & pes-  
simè disputans reiecit responsoque ulterius haut dignû  
pronunciavit censor, si dijs placet, sed sine populi suf-  
fragio ) & experiuntur hodie etiam illi, in quibus nemo  
vel eruditionem vel virtutem desiderat, præterquam  
Nihusius, cui solenne est ita beare amicissimos etiam su-  
os, ut, siue disputationem cum eo ineas, sicuti ego, siue  
eam detrectes, quemadmodum illi, effugere tamen ipsi-  
us reprehensionem & rabidos morsus ne queas.

IV. Sed priore nunc omisso, ut quod alij nuper  
suis coloribus depinxerunt: ego postèrius paucis &  
quantum saterit ad ostendendum fumum, quem ven-  
dit Nihusius, adumbrabo ex ineptissimâ hominis FA-  
CVLA, quam in gratiam Clarissimi Hornej accendere  
voluit, non minus absurdè, quàm si coecus videnti &  
in mero meridie versanti lucernam præferre conetur.

V. Nam ipse quidem Horneus gravioribus jam  
occupatur; mihi verò etiam ratione officij incumbit cu-  
rare, ne incauta juvenus splendidis insulorum libello-  
rum Logicorum titulis decipiatur.

VI. Quod si tanto mihi est facilius, quanto libelli  
sunt insuliores, facillimum sanè erit, quando sunt in-  
sulissimi; qualis profectò est hæc FACVLA, utpote in quâ  
auctor sponte suâ tam statuit absurda, ut nemo un-  
quam vel invitus ad majora deductus fuerit; Scilicet

NON

non dari ullam enunciationem simplicem nisi affirmantem; oppositionem esse inter enunciationes duas affirmantes; Æquipolentiâ neutrâ opus esse; Nec modis Celarent & Ferio; vel dicto de Nullo; in secundâ Figurâ concludi semper affirmativè; in universum quinque terminos in secundâ fig. esse non posse solùm, sed etiam semper debere; in tertiâ fig. duos esse modos; Minorem in tertiâ fig. posse esse negantem, &c. Non itaque ad dispellendum hujus facultæ fumum multo flatu magnoq; nisu opus erit: quia adeò absurdorum vel minimum indicium fecisse, ea evertisse est.

VII. Ad tanta autem hæc absurda induxit hominem coecus innovandi & thesauri tuendæ amor. Nempe ediderat Nihusius commentariolum de Modalibus, in quo modum fecerat prædicati, quantum attingit divisas, quas vocant; quales si malè à quibusdam omninò rejiciuntur, (quod tamen disputare huc non pertinet) multò sanè peiùs Nihusius his solis admissis explodit omnes tam longo usu frequentatas, in quibus modus habetur pro parte copulæ; & accidit ipsi illud Horatij:

Stulti dum vitant vitia, in contraria  
currunt.

IX. Hanc stolidam suam sententiam ut tueatur, fingit nunc, etiam particulam NON haut pertinere un-

A 3

quam

4  
quam ad copulam, ne quidem in illis enunciationibus, quas pro negantibus hactenus habuerunt omnes Logici, sed ad terminum, atque adeò nullas dari enunciationes negantes, quæque plura inde sequuntur paradoxa.

IX. At hæc dum scribit, ita hîc disputat Nihusius, ut propria vineta cædat, i. e. commentariolum illum suum, quem stabilire volebat, magnâ ex parte subvertat, utpote in quo & dari enunciationes negantes & cætera omnia prædictis paradoxis contraria statuerat. Usque adeò apud Nihusium valuit thesæ tuendæ studium, ut ejus causa tot tantaque etiam suamet Logicæ principia eversum iret.

X. Primum verò illud paradoxum, unde cætera omnia tanto agmine sequuntur, fundat Nihusius in formâ illâ, quâ Logicè concipiendæ sint enunciationes, quam explicat §. 5. hisce verbis: *Quenam igitur forma Enunciationum Simplicium Logica, seu apud Logicum accuratum artificialis? Vbi copula & indicativi modi, & presentis temporis, & singularis numeri, & tertiæ personæ; terminus verò uterque, saltem formali parte sui initiali, & rectus, & singularis itidem numeri, & neutrius generis: omnia deniq; & explicitè & ordine debito collocata. Per copulam intelligo, in Latino quidem sermone, unicum illud verbulum est, cum locum inter terminos medium tenet, ubi & explicitè debet esse positum. Terminus verò uterq;, & subiectum inquam & prædicatum, est quasi enunciatio mihi (quod speciem Enunciationis imperfectam quandam præseferat) constans ex formali & materiali. Formam Logicam termino dant hæ tres vocula, aliquid quod est; materia est, verbi gratia, animal, vel aliud quid, sive hoc una itidem vox sit, sive plures. Aliquid est mihi quasi signum termini, ceu quasi enunciationis: quod, eiusdem quasi subiectum: est,*



non copula ibi, sed quasi copula (vocat alii copulam minus principalem, alii copulam implicationis) quam non necessum est efferrisemper explicitè.

XI. Cæterùm hanc formam nescio, cur suam observationem nominet Nihusius §. 2. quum eam jam annis aliquot antè prodiderit alius, occasione hinc, ut videtur, acceptâ, quod docerent & veteres & recentiores Logici, in quibusdam enunciationibus, antequam convertantur, prius eruendam esse copulam, ex. gr. in hac: *Nullus puer fuit senex*, hoc pacto: *Nullus puer est is, qui fuit senex.*

XII. Qui sicuti tunc frustrâ fuit, nec ulli suam illam formam persuasit: ita quoque nunc spe suâ frustrabitur Nihusius, qui eam denuò adfert & pro suâ observatione venditat, quum aliquam saltem interpolationem eamque magis in peius, quam in melius addiderit.

XIII. Nam rectè quidem Nihusius tum §. 5. tum §. 6. censet, non semper ita formaliter cum omnibus vocularum minutijs pronunciari enunciationes debere, (quod alter ille urgebat, si rectè memini: nam ad recognoscendum hoc certòque affirmandum nullum exemplar reperire potui, adeò hinc non egit radices illa novæ formæ doctrina) sed efferris omninò posse, ut vulgo solent, quamdiu nulla inde oritur difficultas; quod convenit cum veterum Logicorum sententia: minus autem rectè, quod ait §. 5. se hinc *ad aliquid* non sumere, ut sumi solet à Metaphysicis, sed ut à Logico, pro *quoddam vel id*, cæterùm hoc posteriore pronomine, utentibus alijs, se non libentissimè uti.

XIV. Nam vel aurium non absurdarum iudicio patet, absurdè dici in sensu Logico *omne aliquid*, utpote  
ubi

ubi illud significat universalitatem, hoc verò particularitatem enunciationis. Sicuti itaque nulla enuntiatio potest simul esse universalis & particularis, ut patet, ita non possunt ambo illa signa coniungi seu uni & eidem enunciationi præfigi, quin alterutrum eorum sit tam mendax, quam supervacaneum.

XV. In sensu autem Metaphysico i. e. eo, quo *quod* aliquid accipitur pro synonymo Entis & Rei, videtur, quod rem attinet, dici posse *omne aliquid*, quia idem hoc est, quod *omne ens* vel *omnis res*, dici item *nullum aliquid*, quia idem hoc est, quod *nullum ens* vel *nulla res*. Interim etiam si sic in re ipsa nil peccetur, modus tamen loquendi est insolentissimus, quinimò nemini mortalium, quod ego quidem sciam, hucusque usurpatus. Itaque illud Nihusij *aliquid* aut nihil est, aut nihili, aut denique etiam ineptum. Veruntamen ut respondeam stulto, secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, etiam ipse infra usurpabo illud *aliquid* omnemque adeò illam enunciationum formam.

XVI. Longè verò ineptissimum & stolidissimum est fundare in hac formâ velle, non dari enunciationem ullam negantem, quemadmodum facit Nihusius, quando eodem §. 5. ait: *Porro copula Enunciationis ipsius debet semper esse nude posita, seu affirmans; neg. enim negare nexum terminorum potest ullo modo; alioqui tunc desineret esse enuntiatio: sed saltem predicatum negatur interdum de subiecto; sit q. id- ipsum, negat à solum predicati quasi copulâ; unde non hæc, Homo non est lapis, sed ista, Homo est aliquid quod non est lapis, quoad copulam & predicatum, formata Logicè: & sic non datur ulla Enunciatio Simplex, ritè formata, nisi affirmans; licet predicatum, imò & subiectum, sit multoties negans.*

XVII. Nem-

XVII. Nempè hîc negat Nihufius, enunciatio-  
nes negantes dari, non minori stoliditate, quàm olim  
Sceptici sciebant, nihil sciri posse: proinde sicuti de illis  
Augustinus lib. 2. cont. acad. cap. 7. Si id sciunt, ali-  
quid scitur: si nihil scitur, neque hoc sciri  
potest: ita nos de Nihufio: Si negat, aliqua est e-  
nunciatio negans, nempe hæc, quâ id negat: sin  
nulla est enunciatio negans, ne hæc qui-  
dem, quâ negat Nihufius, negans est aut  
esse potest; quod si pro suâ temeritate largiatur Ni-  
hufius, quemadmodum etiam Sceptici tandem aliqui  
dicebant, se ne hoc quidem scire, nihil sciri posse, an-  
non tamen vel ipsi termini absurditatem & implicatio-  
nem contradictionis arguunt, si quis dicentem audiat,  
enunciationem, quâ negatur, negantem haut esse?

XIIX. Porrò quis præter Nihufium tam lynceus  
est, ut videat, talem formam nullas admittere negan-  
tes, aut ferre nõ posse, copulæ enunciationis præfigi par-  
ticulam NON, quâ negetur nexus terminorum? Veni-  
ant hac formâ in conspectum omnis generis enuncia-  
tiones, quas ipse Nihufius admittit:

Universalis affirmans de prædicato affirmato

*O. aliquid quod est homo, est aliquid quod est animal.*

Universalis affirmans de prædicato negato  
pro negativâ substituta.

*O. aliquid quod est homo, est aliquid quod non est lapis.*

Particularis affirmans de prædicato  
affirmato

B

*Aliquid*

8

F V M V S F A C V L A E

*Aliquid quod est homo, est aliquid quod est animal.*

Particularis affirmans de prædicato negato  
pro negativâ substituta

*Aliquid quod est homo, est aliquid quod non est lapis.*

Iam periclitemur, annon eâdem formâ poni queant  
istæ:

Universalis negans

*O. aliquid quod est homo, non est aliquid quod est lapis,*

Particularis negans

*Aliquid quod est homo, non est aliquid quod est lapis.*

Ego certè nil quicquam dubito, quin scio, illas à Nihusio substitutas haut aliter ab hisce differre, quàm infinitas affirmantes ab æquipollentibus suis negantibus finitis, & verò positis unis æquipollentium etiam alteras poni posse.

XIX. Par est ratio enunciationum modalium, quod particulam NON attinet, imò in his non tantùm particula NON, sed etiam *modus* ita variè poni i. e. tam ad copulam, quàm ad prædicatum referri potest, nil quicquam obstante illâ formâ, ut patet in subjectis exemplis, ubi tales sunt Nihusianæ:

Universalis affirmans de prædicato affirmato

*O. aliquid quod est homo, est aliquid quod necessario est animal.*

Universalis affirmans de prædicato negato  
pro negativâ substituta

*O. aliquid quod est homo, est aliquid quod necessario non est lapis.*

Particularis affirmans de prædicato affirmato

*Aliquid quod est homo, est aliquid quod necessario est animal.*

Particularis affirmans de prædicato negato  
pro negativâ substituta

*Aliquid quod est homo, est aliquid quod necessario non est lapis.*

Sic

Sic verò se habent nostræ

Universalis affirmans de prædicato  
affirmato

O. *aliquid quod est homo, necessario est aliquid quod est animal.*

Universalis negans

O. *aliquid quod est homo, necessario non est aliquid quod est*

Particularis affirmans de prædicato (lapis.  
affirmato

*Aliquid quod est homo, necessario est aliquid quod est animal.*

Particularis negans

(lapis.

*Aliquid quod est homo, necessario non est aliquid quod est*

Nullus mortalium, sat scio, hoc negabit, nisi forsan  
solus præfractus Nihusius, qui tamen nec ipse ullam, si  
vel rumpatur, unquam proferet firmam rationem, cur  
forma illa magis quadret suis meris affirmativis, quàm  
nostris partim affirmativis partim negativis.

XX. Neque est quod Nihusius dicat, suas esse  
evidentiores, easque posse usurpari, nostras verò omit-  
ti. Nam non minus nostræ, in quibus particula NON &  
*modus* ad copulam refertur, illâ formâ ita prolata, ut  
tamen copula & negata & modificata maneat, facillimè  
extricabunt ingenia difficultatibus alicubi occurrenti-  
bus. Quin contrâ finitæ, quales sunt nostræ negantes,  
semper evidentiores habitæ fuerunt, quàm infinitæ,  
quales sunt illæ de prædicato negato Nihusianæ. Dein-  
de etiamsi nostræ essent minus evidentes, tamen sicuti  
nemo hætenus Logicus in syllogismis primam & secun-  
dam figuram, aut in enunciationibus infinitas propter  
minorem evidentiam omittere potuit, ita nec nostræ  
propterea statim omitti possent. Neque enim boni Lo-  
gici est instar Dictatoris præscribere saltem unum genus

enunciationis; rejectis omnibus alijs, etiam illis, quæ rectè usurpari possunt, sed in omnibus, quæ admittit usus

Quem penes arbitrium est & jus &  
norma loquendi,

ostendere, quanam sit illorum ratio, quæque utilitas in disputationibus & indagandâ veritate. Itaque reponere hîc Nihusio & majori forsan jure licet argumentum, quod ipse §. 31. Danhavvero reiicienti enunciationes compositas actus signati opponit, quando ait: *Nulla enim enunciatio simplex, quæ formam Logicam habet, reiicienda est: tales autem sunt istæ prioris generis omnes, postquam rectificatæ, inquam, fuerint: indeq; adeo etiam in syllogismis aequè ac alteræ illæ posterioris generis adhibentur.* Denique non tantum posse, sed debere omitti nostras negantes, habebat thesis Nihusiana.

XXI. In illo itaque Nihusii discursu, quo verbis suprâ allegatis docet, nullas simplices enunciationes negantes esse, ut & in illo, quo idem de modalibus docet §. 19. hisce verbis: *Porro omnes utriusq; illius generis Enunciationes sunt affirmantes; ob copulam scilicet nudè positam: idq; sive subiectum sive etiam predicatum fuerit negatum, adeoq; negatum vel totaliter vel parte sui aliquâ solâ.* In utroque, inquam, illo discursu non minus præmissæ, quàm conclusio, controversæ, imò falsæ sunt.

XXII. Similiter se res habet in illo discursu, quem Nihusius §. 18. instituit de modalibus, hisce verbis: *Bifariam autem & suis locis reponere omnia licet, & obliqua rectificare. Primò quidem illud necesse est, sicuti & impossibile est removendo è loco illo primo in postremum; ac tunc*  
enun-

enunciationibus, quæ in infinitivo modo prolata, rectificatis, efferendo totum sic: Id, quod illa, Homo est animal, dicit (en hucusq; subiectum) est (ecce copulam, quam nunc sequetur predicatum) aliquid quod est necessarium, seu necessario verum: Id, quod ista, Equus est lapis, dicit, (hucusq; subiectum) est (hac est copula, nunc sequetur predicatum) aliquid quod est impossibile: ubi utrobique & subiectum ipsum, & inclusas eidem enunciaciones ad libitum formare Logicus poterit. Secundo enunciaciones hucusq; subiecto sic inclusas accipiendo, ac duas, quas diximus, voces predicatis apponendo; puta sic: Homo (hactenus subiectum, quod itidem pro libitu formandum relinquo) est (hucusq; copula, superest predicatum) aliquid quod est (hucusq; & quasi signum & quasi subiectum & quasi copula) necessario animal, vel, quod eodem redit, necessarium esse animal, (perinde enim est, sive adverbio ut aris sive nomine: quanquam ubi adverbium, ibi recti quasi termini omnes: ubi autem nomen, ibi rectum solum quasi signum quasi subiecti, aliquid) Item, Equus (subiectum pro arbitrio formabile) est (copula, nunc sequetur predicatum) aliquid quod est impossibile esse lapidem. Voci enim, quæ solet appellari Modus, locus debetur post quasi copulam, ita ut sit quasi predicati illic pars initialis.

XXIII. His adeo contortuplicatis, ut exterminet Nihusius modales Aristotelicas, quæ sunt modificatæ copulæ, duos tantum ponit modos, quibus liceat modales ad novam illam formam formare seu, ut ipse loquitur, omnia suis locis reponere & obliqua rectificare, quorum alter competit compositis actus signati, alter compositis actus exerciti vel divisim modificati termini.

XXIV. Atqui ex paulo antè à nobis dictis addu-

B 3

ctisq;

etisq; exemplis constat, non obstante illâ formâ tum particulam NON tum MODVM ad copulam referri posse, adeoq; dari etiam tertium modû, qui competat modalibus Aristotelicis sive modificatę aut etiã negatę copule.

XXV. Nam quod in contrarium Nihusius hic dicit, Voci quę solet appellari MODVS, locus debetur post quasi copulam, ita ut sit quasi prædicati illic pars initialis; quodque §. 19. profert hæc verba: Quod si verò vocula NON præponatur ipsimet copulæ EST, tum eò non pertinet, sed ad prædicatum, ut suprâ dictum sæpiùs; illis nihil deest, nisi probatio: nam hætenus ea non controversa, sed falsa habita fuerunt: nec verò sæpiùs ea dixisse est eadem probasse.

XXVI. Hocine igitur est argumentari ex undique concessis? aut numnam Nihusius alijs præscribit legem, quam ipsemet haut observat? Annon.

Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum?

XXVII. Prævidit hanc difficultatem & occurrere voluit Nihusius in præfatione, quando ait: *Neg, mens mihi fuit, nisi meum iudicium & aperire & expendendum permittere eruditis, quibus animus tranquillus & sincerus. Quod meum iudicium si cui videbitur opinionibus aliter sentientium recentius, nihil hoc refert. Adversus fidem catholicam, quæ sola antiqua præ Christianorum sætis ei se opponitibus, aut leges et iam honestas, in republicâ receptas, tale quid non licere, at verò in eiusmodi rebus Logicis omninò licere, certus ego sum.*

Et



Et verò si disputandum etiam sit, Respondens esse tantum velim: quibuscumq; tandem libitum fuerit, suscipere in se partes opponentis.

XXIIX. At putabam ego cum Augustino lib. 3. de Trinit. cap. 6. quod sicuti *contra Scripturam nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus*, ita *contra rationem nemo sobrius* sentire deberet: & verò evidentissimâ ratione fundari dictum de Nullo, modos syllogismorum negativos, & reliqua, quorum, ut supra indicavimus, contraria non probat, sed dicitur Nihusius.

XXIX. Qui quidem hoc saltem non stultè sapit, quòd cavet, quantum potest, ne ea probare cogatur, quæ tam sunt à ratione aliena, ut probatu non tantum difficilia, sed etiam impossibilia meritò censeantur.

XXX. Cæterum si non est nisi Respondens, neque adeò quicquam probat vel confirmando sua vel evertendo aliena, qui fit, ut adeò contemnat præ se & subtilissimum Scotum & ipsum Philosophorum Principem Aristotelem, omnesque Aristotelicos? Unde item sibi pollicetur, in novam istam & vivos & mortuos, si reviviscerent, certò transituros sententiam nullâ evidentiratione stabilitam? aut deserturos veterem nullo-dum argumento impugnatam, nedum subversam? Certè si non est opponens Nihusius, neque adeò vel sua stabilit vel aliena subvertit, stolidissimè fastuosus est tum in ijs, quæ jam diximus, tum in hoc, quòd sibi sumit, quod alijs non concedit, ut nimirum ipse novam proferens sententiam velit esse Respondens, & alios, qui sunt in possessione veteris sententiæ, Opponentes esse iubeat: sin est, mentitur, quando se pro Respondente venditat, aut sibi metipsi repugnans confundit partes  
Respon-

Respondentis & Opponentis, atque ita nihilominus subire cogitur illud onus, quod declinare conabatur i. e. probare nobis adhuc tenetur præmissas suas omninò controversas, nisi sibi soli sumat ex inconcessis argumentari.

XXXI. Videtur Nihusius ad quædam horum regerere velle, quod habet faculæ pag. 44. multo sese plures annos insumpsisse huic negotio, quàm Scotum; quasi dicat, propterea sibi magis credendum esse.

XXXII. Tantum fanè temporis huic negotio insumpsit Nihusius, ut si divino auxilio fretus & veritatis amore id fecisset, meritò intelligere deberet, quidnam de eo verè dici queat.

XXXIII. Sed quàm frustrâ laborârit & non tantùm octennium ante editum anno hujus seculi 17<sup>mo</sup> commentariolum, sed etiam deinceps & usque ad editâ anno 1641. Faculam, oleum operamque perdiderit, vel inde æstimari potest, quòd utrobique, & in Commentariolo, inquam, & in faculâ §. 25. & 31. contendit, non cuius compositæ transmutabili in divisam respondere divisam æquè veram aut æquè falsam.

XXXIV. Nam dum unis veris alteras falsas interdum esse ostendere conatur locis citatis, malè eas inter se contendit, veramque compositarum quantitatem adhuc ignorare se prodit.

XXXV. Etenim huic compositæ particulari negativæ,

*Non est necesse O. numerum esse imparem,*  
quasi esset universalis negativa, confert hanc divisam universalem negativam:

*O. numerum non est necesse esse imparem;*  
seu ut loquitur Nihusius:

*Quic-*

*Quicquid est numerus, non est necessario impar;*  
 quum conferre debuisset istam particularem negativam:

*Q. numerum non est necesse esse imparem.*

Similiter huic compositæ particulari negativæ:

*Impossibile est O. partem hominis esse corpoream,*  
 quasi esset universalis, confert hanc divisam universalem negativam.

*O. partem hominis impossibile est esse corpoream,*  
 seu ut iterum loquitur Nihusius:

*Quicquid est pars hominis, impossibile est esse corporeum,*  
 quum conferre debuisset istam particularem negativam:

*Q. partem hominis impossibile est esse corpoream.*

XXXVI. Discat autem, si vult, nunc tandem ex sequentibus binis oppositionum tum compositarum tum divisarum tabulis, in quibus compositæ & divisæ è regione ponuntur, tum quænam utrarumque sit quantitas, tum quomodo inter se ritè cõferri debeant. Quod si fecerit, deprehendet profectò, quod hætenus negavit, unis veris, etiam alteras esse veras, & contrà.

XXXVII. Dico autem *binis*: quia sermo nobis est de modalibus, quarum dicta habent signa quantitatis absoluta, nam quum ex combinatione diversorum signorum, absolutorum, inquam, & modalium, octo omninò oriantur modales, altera tabula danda est quatuor modalibus de dicto affirmativo, altera verò quatuor modalibus de dicto negativo, quantum ad singulos modos attinet, (nam quod attinet ad modos plures vel omnes simul sumptos, semper impossibiles & possibiles qualitate dicti conveniunt inter se, discrepant autem à necessarijs ejusdem tabulæ.) atque adeò non sufficit hinc una tabula, sed duæ omninò requiruntur, ut qualibet

C

moda-

modalis, quæ formari de qualibet quæstione modali potest, reperiat suum, ut par est, in oppositione locum. Interim non formo ego hîc, quemadmodum & potuissim & alibi soleo, utramq; tabulam ex iisdem terminis: Sed priorem ex priore, posteriorem ex posteriore illo Nihusii exemplo, ut tanto facilius, quid ipse utrobique erret, appareat.

**XXXIIX. Tabula oppositionis modalium prior  
Compositarum Divisarum**

*ex necessario*

univers. aff.	univers. neg.	univers. aff.	univers. neg.
<i>Necesse est O. numerum esse imparem</i>	<i>Non est necesse Q. numerum esse imparem</i>	<i>O. numerum necesse est esse imparem</i>	<i>N. numerum necesse est esse imparem</i>
partic. aff.	partic. neg.	partic. aff.	partic. neg.
<i>Necesse est Q. numerum esse imparem</i>	<i>Non est necesse O. numerum esse imparem</i>	<i>Q. numerum necesse est esse imparem</i>	<i>Q. numerum non est necesse esse imparem</i>

*ex impossibili*

univers. aff.	univers. neg.	univers. aff.	univers. neg.
<i>Imposs. est Q. numerum non esse imparem</i>	<i>Non est imposs. N. numerum esse imparem</i>	<i>O. numerum imposs. est non esse imparem</i>	<i>N. numerum imposs. est non esse imparem</i>
partic. aff.	partic. neg.	partic. aff.	partic. neg.
<i>Imposs. est N. numerum esse imparem</i>	<i>Non est imposs. Q. numerum non esse imparem</i>	<i>Q. numerum imposs. est non esse imparem</i>	<i>Q. numerum non est imposs. non esse imparem</i>

*ex possibili*

univers. aff.	univers. neg.	univers. aff.	univers. neg.
<i>Non est poss. Q. numerum non esse imparem</i>	<i>Poss. est N. numerum esse imparem</i>	<i>N. numerum poss. est non esse imparem</i>	<i>O. numerum poss. est non esse imparem</i>
partic. aff.	partic. neg.	partic. aff.	partic. neg.
<i>Non est poss. N. numerum esse imparem</i>	<i>Poss. est Q. numerum non esse imparem</i>	<i>Q. numerum non est poss. non esse imparem</i>	<i>Q. numerum poss. est non esse imparem</i>

**LXXIX.**

XXXIX. Tabula oppositionis modalium posterior.  
Compositarum Divisarum

ex necessario

univers. aff.	univers. neg.	univers. aff.	univers. neg.
<i>Non est necesse Q. par. Necesse est N. partem N. partem hominis ne- O. partem hominis ne-</i>	<i>Necesse est N. partem hominis esse corpo-</i>	<i>esse est non esse cor-</i>	<i>esse est non esse cor-</i>
<i>tem hominis non esse corpoream</i>	<i>ream</i>	<i>porcam.</i>	<i>porcam.</i>
partic. aff.	partic. neg.	partic. aff.	partic. neg.
<i>Non est necesse N. par. Necesse est Q. partem Q. partem hominis non Q. partem hominis ne-</i>	<i>Necesse est Q. partem hominis non esse cor-</i>	<i>est necesse non esse</i>	<i>esse est non esse cor-</i>
<i>tem hominis esse cor-</i>	<i>porcam.</i>	<i>corpoream,</i>	<i>porcam.</i>

ex impossibili.

univers. aff.	univers. neg.	univers. aff.	univers. neg.
<i>Non est imposs. O. partem hominis esse corpoream</i>	<i>Imposs. est Q. partem hominis esse corpoream</i>	<i>poss. est esse corpoream</i>	<i>O. partem hominis im-</i>
			<i>poss. est esse corpoream</i>
partic. aff.	partic. neg.	partic. aff.	partic. neg.
<i>Non est imposs. Q. partem hominis esse corpoream.</i>	<i>Imposs. est O. partem hominis esse corpoream.</i>	<i>Q. partem hominis non est imposs. esse corpoream.</i>	<i>Q. partem hominis im-</i>
			<i>poss. est esse corpoream.</i>

ex possibili.

univers. aff.	univers. neg.	univers. aff.	univers. neg.
<i>Poss. est O. partem hominis esse corpoream</i>	<i>Non est poss. Q. partem hominis esse corpoream</i>	<i>est esse corpoream.</i>	<i>N. partem hominis poss. est esse corpoream</i>
partic. aff.	partic. neg.	partic. aff.	partic. neg.
<i>Poss. est Q. partem hominis esse corpoream.</i>	<i>Non est poss. O. partem hominis esse corpoream.</i>	<i>Q. partem hominis non est esse corpoream.</i>	<i>Q. partem hominis non est poss. esse corpoream.</i>

XL. Contingens improprium omitto, quia plane coincidit cum Possibili: proprium verò huc non pertinet, quia ex eo nulla fit modalis, quæ ulli cæterorum modorum æquipollet.

XLI. Porrò sicuti in Compositis perinde est, siue modum præponas, siue postponas, quicquid Nihusius illud prius pro absurdissimo habeat §. 37. ita in divisis nil interest, siue exprimatür modus nominaliter, quemadmodum hinc factum, siue adverbialiter, ubi quidem



dem adverbialis formula datur, ut in necessarijs, seu denique loco modi ponantur voces aliæ idem dicentes eumve exponentes.

XLII. Denique in divisis necessarijs prioris, ut & in divisis possibilibus posterioris tabulæ, utpote ad formam oppositionis absolutarum propiùs accedentibus, indeque evidentioribus per se patet, ita eas opponi debere, in cæteris autem tum divisis tum compositis ex eo id colligere est, quòd illo ordine singulæ singulis ijs necessarijs & possibilibus tanquam æquipollentes respondeant; quod nemo negabit, qui vel aurium iudicio stare volet.

XLIII. Hanc veram modalium quantitatem hactenus non satis didicit Nihusius, indeque factum, ut incautelâ suâ generali, quam commentarioli sui cap. ult. proponit, sibimetipsi non caverit, sed cautor ipse captus sit, utpote ubi in primâ figurâ ponit hasce majores particulares:

*O. partem hominis esse corpoream impossibile est;*

*O. ens esse creaturam impossibile est;*

*O. ens esse omnipotens non est necessarium;*

*O. substantiam loqui non est contingens.*

quando format &, ut videtur, Aristotelicis adscribit syllogismos compositos, quales nemo illorum, quod ego quidem sciam, pro suis agnosceret, nempe istos:

*O. partem hominis esse corpoream, impossibile est.*

*Brachium est pars hominis.*

*E. brachium esse corporeum, impossibile est.*

*O. ens esse creaturam, impossibile est.*

*Homo est ens.*

*E. hominem esse creaturam, impossibile est.*

*O. ens*

*O. ens esse omnipotens, non est necessarium.*

*Deus est ens.*

*E. Deum esse omnipotentem, non est necessarium.*

XLIV. Et quum suffecisset hos syllogismos rejicere propter particularitatem majoris primæ figuræ, & sequentem istum:

*Hominem esse lapidem est impossibile,*

*Adamantem esse hominem est impossibile.*

*E. Adamantem esse lapidem est impossibile;*

propter puras negantes, tam longè aberrat Nihusius, ut putet, priores tres aut laborare quinque terminis, (ineptè inter terminos numerans & modum & dictum & partes dicti, quum si has tantùm, ut par erat, recensuisset, haut plures, quàm tres, reperisset) aut si mutantur in divisos, majorem habere falsam, (malitiosè vel imperitè ubique particulari compositæ substituens universalem divisam) posteriorem verò esse affirmantem in secundâ, (qui constat profectò, ut dictum, ex puris negantibus in primâ: nam qualitatem negativam indicant æquipollentes explicitè habentes particulam NON, nempe istæ possibiles:

*Hominem esse lapidem non est possibile;*

*Adamantem esse hominem non est possibile;*

*E. Adamantem esse lapidem non est possibile;*

Figuram autem primam arguit terminorum dicti dispositio) adeoque etiam veram modalium qualitatem adhuc ignorare deprehenditur: malè item omnium illorum syllogismorum ἀσυνλογισίας in eo ponit, quòd cum sint compositi, non tamen dicta integra iterent, sed simplices terminos.

XLV. Nam quod ipse putat, in eo differre syllogismos

gismos compositos & divisos, quòd in illis integra dicta bis ponantur, in his simplices tantum termini, fallitur, neque id ullo argumento probat aut probare potest, quum istud commune habeant syllogismi divisi cum compositis actus exerciti, i. e. illis, qui constant ex enunciationibus modalibus compositis in actu exercito acceptis.

XLVI. Erroris autem ejus indicium vel illud est, quod ipse in hoc syllogismo:

*Necesse est O. hominem esse animal*

*Q. album est homo*

*E. necessum est Q. album esse animal;*

qui non laborat illis veris formæ vitijs, quæ nos in reliquis ostendimus, sed tantum eo, quod Nihusius vitium esse falsò putat, quodque cum præcedentibus syllogismo huic commune est, non potest ullum incommodum ostendere: imò fatetur, si mutantur compositæ in divisas, ut:

*O. homo est necessario animal*

*Q. album est homo*

*E. Q. album est necessario animal;*

(eodem autem res recidit, si compositæ accipiantur saltem sensu divisarum seu in actu exercito) tum se non videre, quid desideret.

XLVII. Æstimare hinc licet, quantum cæcutiat adhuc in modalibus Nihusius, quamque ineptè eas reformare ausus sit, quarum nec quantitatem nec qualitatem satis intellexit: in primis verò illud ex dictis abundè patet, quòd Nihusius haut probâr itea, unde cætera ipsius paradoxa dependent, nempe nullas dari e-

nun



nunciaciones de copulâ vel negatâ vel modificatâ, sed ex non concessis argumentetur.

XLIIIX. Quin imò hoc ipsum minore negotio perspicitur statim ex Faculæ §. 2. & 17. Nam illic quidem ita loquitur; *Enunciaciones, inquam, Simples in scholâ Aristotelis frustra subdividuntur in Absolutas & Modales: quia Modalium, quas vocitant, forma & ratio ubiq; non est alia, quàm Simplicium ceterarum*: hîc verò ista habet verba: *Dixi, non opus esse peculiari doctrinâ de Modalibus; quia eadem hîc sit ratio qua in Simplicibus ceteris, quoad qualitatem, quantitatem, & oppositionem enunciationum, nec non consequentiam reductionemq; syllogismorum.* Vtrobique nim. ex eo colligit, non debere Modales ab Absolutis distinguere aut peculiari doctrinâ explicari, quia in utrisque eadem sit ratio & forma, quum tamen nec confirmet ullibi illam consequentiam, nec verò ignoret, Aristotelicos eam non concedere, ut qui censent, easdem affectiones formales in diversis specie enunciationibus attendi posse: nam qui ita censent, apud illos nulla est ab eadem ratione vel formâ seu formali affectione ad eandem enunciationum vel syllogismorum essentiam seu speciem consequentia. Et reverâ hoc perinde est, ac si quis ex eo, quòd in formâ viventis aut sentientis conveniunt homo & brutum, concluderet, hæc specie non differre: quasi nimirum convenientia in differentia genericâ tolleret discrepantiâ in differentia specificâ.

XLIX. Adde quod ipse Nihusius exemplo suo supra explicato satis doceat, quantitatem & qualitatem Modalium, ut rectè intelligatur, peculiari doctrinâ explicari debere: nam si non deberet, Nihusius statim perceptâ satisfacere quantitate & qualitate Absolutarum, percepisset

cepisset etiam quantitatem & qualitatem Modalium, in quibus tamen etiam post perceptas illas adeò turpiter, ut vidimus, hallucinatus est, ut nec veram quantitatem aut qualitatem, nec suummet, quod enunciationi negativæ substituit, prædicatum negativum in impossibilibus viderit.

L. At, inquires, si quid in quantitate & qualitate modalium erratur à Nihusio, erratur etiam ab alijs; cur ergò in ipso præ cæteris id adeò reprehenditur? Respondeo, si nihil interesset inter Nihusium & alios, dicerem, *multitudinem errantium non parere errori patrocini-um*, posseque errorem multis communem interdum uni errantium, interdum quibusdam, interdum deniq; omnibus, sive pro arbitrio, seu pro datâ occasione obijci. Cæterùm quia magna hîc est disparitas & non tantùm alii alicubi duntaxat, Nihusius verò ubique hunc errorem errat: verùm etiam aliàs vix inter Pharisæum & Publicanum tantum est discriminis, quantum inter Nihusium & alios, ut qui se solum hîc putat sapere, Aristotelem verò nugari, Aristotelicos denique tricari & esse coecos coecorum duces: dico, *duo cum faciunt idem, sæpe non esse idem*, & multa posse in alijs tolerari, quæ in tam impetuoso Aristarcho nequeunt, cui occinendum potiùs illud vulgatum: *Omni vitio carere debet is, qui in alterum paratus est dicere*; itemque illud Servatoris ad Pharisæos: *Si coeci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet*. Reprehendi igitur hunc errorem in Nihusio potiùs, quàm in alijs, ut retundatur fastuosa temeritas hominis supra modum nasuti.

LI. Nam

L I. Nam cæteri aliorum vestigijs insistentes agnoscunt hinc tenebras & difficultates, neque multum temporis hac in re consumpserunt: Nihusius verò confidentissimè reformationem aggressus merum crepat lumen, meras faculas, totamque penè vitam se impendisse huic negotio indicat, indeque argumentum sumit, sibi potiùs, quàm Scoto, Aristoteli aut aliis etiam subtilissimis hac de re credendum esse. Quinimò in fine §. 42. quasi rebus hisce clarè tandem à se expositis, censeset, Hornejum, nisi peccare & quidem contra conscientiam velit, mutare sententiam & corrigere tum Institutiones unà cum decerptis inde Exercitationibus, tum Compendium etiam debere.

L II. Mihi verò contrà hoc magnum est argumentum absurdissimi hominis, quòd, quum semper aliorum sententias reprehendere, & quidem in hoc uno negotio tam diu tantoque opere studuerit, illud, quod de Modalium quantitate & qualitate rectè culpate potuisset, haut viderit, & alia, quæ etiam rirones verissima esse certò sciunt, arrodere & falsitatis arguere conatus sit.

L III. Ita Nihusius *dicens, se esse sapientem, stultus factus est*, & andabatam frustra tam diu alibi quæsitum suomet in sinu reperit. Quapropter, si usque adeò triumphare gestit, triumphum de alijs neutiquam devictis immeritò petatum, nec unquam impetrabilem, omitat: & meditetur alium longè justissimum, nempe de semetipso, utpote quem toties majorique semper ignorantia & stoliditate vicit.

D

Corol-




## Corollarium.

Quæritur, quid responsurus sit Nihusius, si, quemadmodū ipse contendit, copulam enunciationis debere semper esse nudè positam seu affirmantem, addita hâc ratione, quia si negare posset nexum terminorum ullo modo, desitura tunc sit esse enunciatio: ita alius æquè nasutus velut ex lege talionis cum Nihusio agere & contendere occipiat, quasi copulam quasi enunciationis, ut Nihusius vocat, i. e. termini, semper debere esse nudè positam seu affirmantem, addita simili ratione, quia si negare posset nexum quasi terminorum ullo modo, desitura tunc sit esse quasi enunciatio? Nihil sanè tam commodè dicet aut responsurus est, quin suomet gladio sese jugulaturus sit. Etenim si probârit hunc discursum, cur posuit quasi enunciationes negantes i. e. terminos sive prædicata & subjecta de  
quasi

quasi copula negata? Sin improbârit, cur ipse simili discursu tollere voluit enunciationes negantes? nam quanta est vis quasi copulae in quasi enunciatione, tanta est copulae in ipsa enunciatione: æqualis utrobique ratio, eademq; proportio. Ita vel ex hoc uno corollario abundè patebunt ineptiæ Nihusii in negandis enunciationibus negantibus, si forsan alicui haut vacârit superiora nostra omnia perlegere.



quod copula negata: in improbatum est  
ipse inveni dicitur tollere voluit cunctis  
tunc negantes: nam quanta est vis quae  
copula in quibus conditionibus tanta est co-  
pula in quibus conditionibus: ad quibus inopi-  
que ratio, eadem: pro tanto: et vel ex hoc  
uno corollario abunde patebitur inceptis  
Nihil in negandis conditionibus ne-  
gandis: si fors aliter hanc vocem in-  
venire non possit omnia per-  
legere.



99 A 6919

ULB Halle 3  
002 631 202




Sl.

Reho. ✓

VD17







Inches  
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Farbkarte #13**

**B.I.G.**

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

... S  
... LAE  
... NÆ  
... gicis,  
... BERLINGIO  
... n acad.  
... DI,  
... ERI Acad. typ.  
... III.

